

V c
1440



H.
2.



h. XVI, 17.

QR. XVI, 17.

2. D. B. V.

Vc
1470

ACTUM COMICUM

PLAGIO
FRATRUM,
ERNESTI
ET
ALBERTI,
DUCUM SAXONIÆ,

Per plagiarium nobilem Conradum
à Kauffung ex arce Altenburgicâ
An. 1455. raptorum.

*Et nostro hætenus-statui, quo magna
pars prolis Francobusane à morte communi illo
plagiario fuit surrepta, ac
commodato,*

PATRONOS SCHOLAEQUE
FAUTORES
honorificè invitat


M. JOHANNES Hoffmann / R.

SONDERSHUSÆ, Stannò BENEDICTI SCHULZII.

H.
2.

32. 62.




 Vantum utilitatis exercitia comica præcipue latina publi scholasticæ afferant, non est ut operosius demonstratum eamus. Etenim experientiam non solum testem provocamus; verum etiam in superioribus programmatibus comicis id satis superque expositum arbitramur. Quò igitur in præsentem etiam debitam partium nostrarum curam geramus, fidei nostræ commissis Discipulis hoc in studio succurrere haud pigrabimur. Placet autem nunc plagium illud commemoratu dignissimum Fratrum ERNESTI & ALBERTI, Ducum Saxoniae Altenburgi A. 1455 patratum in scenam producere. Si quid ulli alteri historiae gravitatis, jucunditatis, elegantiae, dignitatis & moralitatis tribui potest, id ipsum huic nemo sani iudicii derogare poterit. Applicationem non invitam, ad quam in primo harum pagellarum frontispicio collineavimus, Epilogus paulò diffusius explanabit. Historia autem ita se habet: Ernestus Dux Saxoniae Elector, natus An. 1442, fratrem habuit Albertum. Horum alter 12 alter 14. annos natus fuit, cum ex arce Altenburgicâ rapti sunt A. 1455 hoc modo: Erat quidam nobilis Conradus seu Cuntzius à Kaufung, qui aulae Friderici magister quondam & Norimbergensis Reipubl. Capitaneus fuerat in bello contra Albertum Marchionem. Sed in bello Friderici contra Bohemos ab hoste captus fuit cum alio Nobili Nicolao à Pflug. Pflugium quidem Elector Fridericus ab hoste redemit, Kauffungo autem reddere pecuniam, quâ se redemerat, noluit. Idque sic excusavit, quod in bello isto



non feudi nomine, sed stipendii causa militasset. Quod moleste & aperte ferens Cuntzius occulte minatus est, se hanc injuriam in principe ipso, vel sanguine ejus ulturum esse. Quas tamen minus tanquam imbecilli hominis aliquantisper contempsit Elector: Vide, inqviens, Cunrade, ne pisces mihi in piscinâ exuras. Postea tamen exilio eum multavit, bonaqve illius fisco attribuit. In exilio autem cum Vizthumis de Apolda, qui & ipsi proscripti erant & in Bohemiâ commorabantur, consilia communicavit Kauffungus & hostem Friderici se esse declaravit. Mox alios Nobiles, Wilhelmum de Mosera & Wilhelmum de Schönfels & societam facinoris illicit. Initio autem præmittit quendam exploratorem, qui in culina Friderici ministrum se præbeat & quidquid agatur, ad ipsum referat. Fortè evenit, ut Fridericus Lipfiam proficiscatur, relictis Altenburgi conjuge & liberis, quos Comiti à Barby commendat. Peropportunum hoc visum fuit Cuntzio. Ideoque statim 35. equites & 10 pedites coëgit & 2. Julii ad arcem nocte intempestâ inter undecimam & duodecimam horam venit. Parata erant ad ascendendum omnia. Facile igitur ope exploratoris sui, culinæ ministri, per fenestram in arcem invadit, rectâ cubitaculum principum juniorum petit, idqve etiam sine negotio aperit: præsertim cum, ut sit, domini ubi absunt, aulici ministri penè omnes in urbe poterent. Ernestus de somno excitatus vocat virginem, quæ diu in aulâ principes juniores curârat: o mea, inqviens, Cunradus Kauffungus adest & vult me occidere, indica statim matri, ut nobis opem ferat. Kauffungus verò ostia omnia sic obstruxerat, ut exire nemo posset. Jubet tamen tacere Ernestum, in columitatem promittens, si pareat, vim verò minitans, si clamet. Eodem modo etiam eos, qui cum principibus erant, minis

compescit, ut taceant. Qui autem in cubiculo principum fuerunt, certum satis non est. Cuntzius sua manu acceptum Ernestum obducit, Albertum verò socio suo de Mose commendat. Sed is pro Alberto, qui in tanto terrore sub lecto sese occulebat, puerum alium, Comitem de Barby, apprehendit. Quem ubi Cuntzius agnovit, illicò per arcem denuò transit in cubiculum & Albertum auffert. Ita ex arce per portam ambo principes educuntur. Mater etsi cubiculo exire non poterat, tamen quid fiat, perspicit & Kauffungum in area aulæ inclamat: mi Cunrade, inqviens, noli me ita perturbare & Dominum meum. Mihi crede, omnes res tuæ bene se habebunt. Cunradus verò nihil territus hac voce cum Alberto, quem eqvo imposuerat, rectà in Bohemiam contendit & manè ad Grunhain monasterium pervenit. Reliqui duo ipsius socii Ernestum eodem modo in Franconiam rectà ducunt. Interim in aula & urbe luctus & mœror exoritur, nullaqve interpositâ morâ, quid factum sit, patri significatur. Aulici verò statim in omnibus pagis & oppidis, dato per campanas signo, insequi raptores cœperunt. Quod Kauffungus audivit, quidem, sed quia sylva appropinquabat, facile se evasurum sperabat. Antequam verò sylvam attigit, Albertus famem & sitim tantam se habere dicit, ut sine incommodo valetudinis progredi nequeat. Processerat enim jam à mediâ nocte usque ad meridiem sine cibo & potu & quidem eqvo vectus succussario. Descendit igitur Cuntzius cum eo fraga decerpturus, quibus famem sitimqve depellat Albertus. Interim jubet socios suos pergere. Etsi autem verisimile est, Albertum sensisse famem in hoc itinere, tamen ajunt, eum postea confessum esse, potuisse quidem se conficere iter reliquum sine cibo, sed simulâsse famem, ut Cuntzium
retar-

retardaret & insequentibus spatium daret. Dum autem
fraga decerpit Kauffungus, fruticeto implicatus calca-
ribus adhæret, jacensque sese extricare non statim po-
test. Advenit fortè carbonarius, cane suo in eum locum
ductus, qui Kauffungum intuens loricatedum, quærit,
qui sit & quo puerum abducere velit? respondit Cun-
tzius, contumax est puer, aufugit à Domino suo, idcir-
co reducere eum volo. Albertus verò clanculum insu-
furrat carbonario, Princeps Saxoniae ego sum, libera-
me, pater meus cumulatè pensabit. Audivit hæc verba
socius Kauffungi, quem unicum habebat secum & stri-
cto gladio invasit Albertum, parumque abfuit, quin
vulnerasset. Carbonarius verò runcina Kauffungum
adortus verberasset graviter, nisi Albertus prohibuisset.
Hac concertatione commotus canis carbonarius latra-
tu suo uxorem carbonarii incitat, ut suspicetur, hostem
adesse, itaque mox signo dato efficit, ut accurrant un-
diqve Carbonarii & Kauffungum capiant. Albertum
verò atro pane & aqua refectum ad Abbatem Grunhai-
nensem ducunt. Qui ubi rem cognovit, statim reli-
quos Kauffungi socios quinque capiendos curat. Qui
etiam eodem die à Vito de Schönburg, Domino in Glau-
cha capti Zwickaviam perlati sunt. Socii Kauffungi,
qui Ernestum abduxerant, conterriti rumore de libe-
ratione Alberti desperantesque rebus suis, ad Domi-
num de Schönburg mittunt, reddituros sese pollicen-
tes Ernestum, si vitæ incolumitas ipsis promitteretur.
Dat fidem Schönburgius Electoris nomine, reduci-
turque Ernestus ad ipsum. Inde ad matrem ambo in-
genti gratulatione atque lætitia redeunt. D. 14 Julii con-
venerunt Chemnitii pater Elector & mater. Postero die
Ebersdorffium profecti gratias DEO egerunt, pro con-
servatione filiorum in tanto periculo. Die 16. ejusdem

Altenburgum reversi lætitiæ signa multa ediderunt. Kauffungus verò capite truncatus est Freibergæ. Etsi enim Elector pro innatâ suâ clementiâ deprecanti vitam condonare voluit: tamen priusquam diploma reditum fuit, ob clausas urbis portas, supplicio affectus est. Socii ejus omnesqve facinoris conscii partim Zwickaviæ partim Altenburgi pœnas meritas persolverunt. Vestes Principum juniorum in templo divæ Mariæ, quod est Ebersdorffii suspensæ sunt. *Et hæc est historia, quæ sequentes personas in scenam producendas continet.*

1. PROLOGUS, quem Fama representabit.
2. FRIDERICUS II. Elector Saxonie, cognomento Placitus, Pater.
3. MARGARITA, Conjux, Fridrici III. Imp. Soror, Mater.
4. ERNESTUS, 14 annorum, } filii.
5. ALBERTUS, 12. annorum, }
6. BARBYUS seu Comes junior à Barby, coætaneus.
7. CUBICULARIA.
8. SCRIBA.
9. SATELLES.
10. SCHÖNBURGIUS seu Vitus à Schönburg, Dominus in Glaucha.
11. CONRADUS seu CUNTZIUS à Kauffung.
12. GOTHES, servus illius.
13. WILHELMUS, Socius.
14. COQUUS, Schwalbius dictus, explorator.
15. BACCALAR } Carbonarii.
16. GRUMPIUS }
17. JUTTA } Uxores.
18. CARNA }
19. MORIO.
20. QVINQUE ARGUMENTATORES.
21. PERSONÆ MUTÆ.

PRO

PROLOGUM Fama miro induta habitu repræ-
sentabit præmissâqve sui officii descriptione veniæqve
petitione breviter historiam de hoc plagio latinè &
germanicè propter ἀμύσως exponet.

ACTUS I.

SCENA I.

Fridericus, Morio.



Fridericus consiliarios minùs fidos depingit, quo-
rum consilia dissidium & bellum intestinum inter se
& Fratrem suum Wilhelmum facilè excitare potuis-
sent, nisi ipse cum fratre suo per colloqviùm in gra-
tiam rediisset. Exaggerat porrò bella intestina, pa-
cem contra & concordiam commendans. Mentionem quoqve
injicit conspirationis proscripti Cuntzii ob denegatum lytron,
quam tamen se parùm curare significat. Interim prudenter clavum
Reipubl. se gubernaturum proponit, & quò id fiat, divinam opem
implorat. Deniqve iter parat Lipsiam, quod cum pio voto susci-
pit. Morio exultando & canendo se Comitem præbiturum ibi-
demqve itrenuè commissaturum alios inter jocos crepat.

SCENA II.

Cuntzius solus.

Cuntzius summam indignationem præferendo atqve merita
sua extollendo præcipuè in bello Hassiaco Electori præstita
ingentem ipsius ἀχαριστίαν exprobrat, quod non æqve ut Pflugius,
cui tamen multis parasangis se antepontis dum putat, ex capti-
vitate hostili sit redemptus, quin potius patriâ ejectus atqve pro-
scriptus, quapropter id atroci ducens sibi contumeliæ & injuriæ,
totus est in eò, ut cum complicibus suis Fridericum ulciscatur.

SCENA III.

Gothes, Cuntzius.

Gothes Cuntzio à suo exploratore Coqum in aulâ Altenbur-
geni mentiendo, cui nomen Schwalbius literas affert, quas
resignatas Cuntzius clarâ voce legit. Quibus lectis Cuntzius exul-
tando ex tam optatâ occasione ulciscendi oblatâ summam capit.
ultitiam.

ACTUS

ACTUS II.

SCENA I.

Cubicularia, Principissa.

Cubicularia pro Albertulo & Ernestulo apud matrem intercedit, ut cum patre Lipsiam recreationis ergò proficiscantur; mater autem ob æstum nimium non vult consentire, quin potius ipsius Electoris abitum ob præfagium aliquod malum impediri optat, subjungens, somnium noctu sibi visum, quo aper-
vincti sepes perfregerit everfionemque omnium vitium ita intenterit, ut vindemiæ spes omnis concidisse videretur, nisi ursus subniger profiliens illicò obstitisset & aprum spumantem in fugam conjecisset, quod somnium Cubicularia contemnit & pro naturali habet. Principissa pro felici itineris successu precatur simulque Cubiculariæ in mandatis dat, ut omnia ad iter necessaria parat & convaset, jubetque filios adduci, ut Patri abiturienti valedicant.

SCENA II.

Comes, Principissa, Cubicularia.

Comes ad Principem vocatus Comitem itineris se futurum sperat eaque de re cum Principissa colloquitur. Principissa autem non vult consentire in Comitis abitum, ne flore nobilium absente Aula in periculum adducatur, in memoriam varios hostes, imprimis proscriptum Cuntzium, aulae Altenburgensi insidias fruantes, revocans. Comes hunc metum Panicum censet, eorumque minas ridet. Principissa regerit, parvum etiam hostem non esse contemnendum nihilque magis victoriam conferre, quam hostium securitatem. Comes Principissæ obsequens, domi se mansurum ait. Cubicularia principem jamjam ad iter in procinctu stare significans.

SCENA III.

*Fridericus, Principissa, Albertus, Ernestus,
Barbyus, Comes.*

Fridericus cum Principissa de itinere colloquitur. Albertus, Ernestus & Barbyus accedentes Serenissimorum manus de-
cen-

centi gestu osculantur, quos pater Lipsiam secum vult ducere, si mater consenserit. Mater dissuadet partim ob æstum, partim ne sola relinqvatur, metuens adhuc minas Cuntzii, quas Fridericus autem generosè contemnit & irritas habet. Fridericus interim curam & inspectionem aulæ committit Comiti. Fridericus valedicens abit præmissis tubicinis tubam inflante. Mater post scenam filios commendat Cubiculariæ.

SCENA IV.

Comes, Satelles, Scriba.

Comes in oppidum descendens & ad comissionem se parans mandat servo, ut reliquos compotores convocet. Spernit interim securus metum, quem Principissæ Cuntzii minæ incusserant, castello satis munito & speculatoribus multum confidens. Interim cum cæteris aulicis totam noctem debacchando consumit.

SCENA V.

Satelles, Morio.

Satelles exultans Sanctorum festa poculis dicata nempe Ciliani, Martini, Urbani, &c. magni æstimat: Festa jejuniis consecrata non item. Morio ob plagas acceptas horrendè clamans profilit, quo cum Satelles jocos miscet.

SCENA VI.

Coquus & Morio.

Coquus Morionem fuste ex culina pellit, quod aliquid cupediarum surripuerat. Morio se proditurum, quod de Coquo norit, minatur. Coquus malè conscius sua consilia cum Cuntzio clam tractata fortè innotuisse suspicatur: Spe tamen se erigit, quod illa ipsa nocte & quidem facinori suo commodissimâ, qua omnes vino somnoque sepulti, sua consilia felici eventu possint coronari.

ACTUS III.

SCENA I.

Grumpius, Carbonarius.

Gruppius conqueritur de iniquâ sententiarum judicialium pro crastinatione, yenalis justitiæ administratione expensa.

B.

sa.

farum accumulatione, & de tardiori ad libellum supplicem, quem obtulerat, responsione. Describit porrò miseram Carbonariarum vitam, quam in sylvis cum feris ferè communem habeant.

SCENA II.

Scriba, Grumpius, Morio.

GRumpius Scribæ ebrio cum capone obviam factus quærit ex ipso, num Dominum conveniendi sibi copia fieri possit? Scriba Domino jam non convocare, quia poculis indulgeret, respondet. Grumpius offert caponem & rogat responsum ad libellum supplicem. Scribæ à Domino hoc redditur responsum, quod ob caniculares Dicasterium jam sit clausum, adeòque ipsi post mensis spatium esset redeundum. Grumpius conqueritur de diuturniori expectatione, longinquiori via, Marsupiique exentatione. Scriba & Morio denique Grumpium ludibrio exponunt, barbamque hirsutam ressecando ignominiâ afficiunt, qui misere clamitans querelam movet de aulicorum petulantia, &c.

SCENA III.

Coqvus.

COqvus gratulatur sibi de felici propositi successu ejusque occasionem optatissimam commendat. Admiratio ipsum subit, cur Cuntzius accessum tardet, cum hora XII. nocturna jam tum sit audita. Hæc secum colloquens auribus arrectis percipit quendam eqvorum strepitum. *Venit Cuntzius.*

SCENA IV.

Cuntzius, Coqvus, V Vilhelmus.

Cuntzius cum Sociis ad arcem Altenburgensem noctu veniens vocat Coqvum. Monstratur foramen, per quod Cuntzius applicatâ scalâ in aulam cum Wilhelmo penetrare possit. Quò factò rectâ tendunt ad Principum dormitorium oppessulatis prius foribus omnibus.

SCE-

SCENA V.

*Ernestus, Albertus, Barbyus, VWilhelmus,
Cuntzius, Principissa, Cubicu-
laria, Coquus.*

ERnestum clamantem de vitæ incolumitate Cuntzius jubet securum cum comminatione internecionis, si pergat clamitare. Wilhelmus errorem persone committens pro Alberto Comitem juniorem de Barby rapit, quem cognitum Cuntzius reducit, ejusque loco Albertum mediante candelâ sub spontâ repertum vi quoque aufert haud obstante Cubiculariæ clamore, quem Cuntzius etiam interfectionis minis compescit. Clamorem Principissa audiens Cuntzium, quem ante metuerat, adesse statim præfagit, hinc cum ex oppellulato conclavi, ne quid sceleris in suos admitteret, precibus prosequitur promittendo omnia secundum ipsius vota compositum iri. Sed surdo narratur fabula, abducitur Albertus per Cuntzium in Bohemiam, Ernestus per Wilhelmum in Franconiam. Interim omnia conclavia planctibus implentur.

ACTUS IV.

SCENA I.

Fama, Principissa.

Fama classicum canens cives ad persequendum plagiarios cohortatur simulque plagium commissum prolixius describit. Principissa miseras excitans querelas invehit in aulicorum absentiam & negligentiam.

SCENA II.

Principissa, Cubicularia.

PPrincipissæ consternatæ inque aulicos absentes inqvirenti Cubicularia respondet, quod plurimos vino somnoque adhuc sepultos in Symposio deprehenderit, eos increpando suscitaverit & signa Campanis undique dari ad insequendum plagiarios jussit.

SCE-

B 2

SCE-

S C E N A III.

Comes, Principissa, Cubicularia, Satelles.

Comes à Principissâ supplex veniam petit, quam tamen ægrè impetrat. Interim Comes ad premendum Plagiarios se parat, qui cunctationem Satellitis in maturando itinere objurgat.

S C E N A IV.

Grumpius, Carna, Baccalar.

Gruppius iterat querelam de ignominiâ ab aulicis sibi illatâ metuens vicinorum uxorisqve ob barbam derasam illusionem. Carna vicina & Baccalar ipsum conspicientes multis cachinnis & illusionibus ipsius mutationem & mutilationem admirantur. Grumpius omnia enarrat ordine, quid sibi contigerit & cur nihil responsi ad supplices literas Carbonariorum nomine traditas retulerit.

S C E N A V.

Jutta, Carna, Grumpius, Baccalar.

Jutta Grumpium conspiciens negat ac pernegat maritum esse. Grumpius pluribus signis ridiculis id demonstrat. Jutta marito ob deformationem plagas comminatur. Baccalar interveniens pacem imperat, Jutta verò ipsum etiam colaphorum minis insequitur. Carna marito suo succurrens cum jutta inter verbera rixatur. Baccalar & Grumpius intervenientes componunt lites.

S C E N A VI.

*Baccalar, Cuntzius, Albertus,
Gothes, Grumpius.*

Baccalar de contumeliâ ab aulicis vicino suo illata queritur. Albertus in fragis decerpendis est occupatus. Baccalari illos conspicienti & quoniam sint interroganti respondet Cuntzius, quod fugitivum hunc famulum, [intelligit Albertum,] ad Dominum suum velit reducere in Bohemiam. Cuntzius majorem fragorum copiam quærens ab Alberto paululum discedit. Hanc occasionem Albertus arripiens in aurem Carbonarii susurrat, quod sit Electoris filius & furtim à Cuntzio raptus. Rogat
igi-

igitur, ut ipsi succurrat multa præmia à patre reportanda promittens. Quò audito statim Carbonarii alii convocantur, veniunt, vident, vinciunt Cuntzium. Qui precibus instat, ne vis sibi inferatur, sed frustra. In vincula conjectus & in Casam Carbonarii deductus expectare cogitur, donec responsum ab Abbate de Grunhain, cui factum denunciabatur, allatum esset.

A C T U S V.

S C E N A I.

Fama.

Fama divulgans liberationem Alberti hortatur subditos, ad gaudia. Collaudat Carbonariorum fortes fidosque animos. Promittit, quod hanc liberationem non tantum in Franconia plagiariis Ernestum abducentibus Panicum terrorem incutiendo, verum etiam Lipsiæ Electori significare velit.

S C E N A II.

*Schönburgius, Albertus, Principissa,
Cubicularia, Morio.*

Albertus Schönburgio diffusius enarrat suam liberationem. Colloquentes intervenit mater incredibili suffusa gaudio. Matri in Cuntzium inqvirenti respondetur à Schönburgio captivum teneri, se autem jam ad perseqvendum quoque Wilhelmum paratum esse. Accedit Morio adventumque patris annunciat. Jocatur cum Cubicularia.

S C E N A III.

*Morio, Fridericus, Principissa, Cubicularia,
Fama, Albertus.*

Morio gratulatur Friderico de reditu. Fridericus colloquitur post salutationem cum Conjuge de plagio. Conjux testè improbat securitatem nimiam. Dum loqvuntur, venit Fama bona nova nuncians, Ernestum quoque esse liberatum & reductum. Albertus Cubiculariam eidem obviam procedere jubet. *Venit Ernestus.*

SCENA IV.

Cubicularia, Fridericus, Principissa, Ernestus.

Albertus, Morio, Schönburgius,

ERnestus veniens incredibili lætitiâ quoque excipitur. Fridericus laudat Schönburgii fidem & curam in reducendo Ernesto, qui se totum Principi suo obstrictum esse testatur. Morio inter jocos sua quoque offert officia. Schönburgius plures subditos fideles præcipuè Comitis candorem & curam in premendis hostibus recenset, cujus in curiæ admiffæ Fridericus placidam concedit veniam. Nominatum exprimit captivos, quos inter & Cuntzius, fax & tuba omnis mali. Deliberatur de præmio Carbonariis decernendo, quod ipsorum optioni relinquitur.

SCENA V.

Albertus, Baccalar, Fridericus,

Schönburgius, Morio.

Albertus Carbonarium ducit, ad Patrem, à quo petitio arbitraria ipsi offertur. Carbonarius nil petit nisi potestatem, tot arbores pro cremandis carbonibus decidendi, quot per dies vitæ ad victum necessariæ. Fridericus simplicitatem Carbonarii animadvertens non solum petitis clementissimè annuit, verum etiam domum ipsi in Sylva exstrui curat, certosque redditus frumentarios per annum pro ipso & posteris suis destinat.

SCENA VI.

Fridericus, Baccalar, Grumpius,

Schönburgius, Principissa.

VOcatur & Grumpius, alter Carbonarius, qui oblatâ aliquid petendi optione nil desiderat, quàm clemens responsum, ad libellum supplicem Comiti per Scribam unâ cum Capone, antequam Fridericus Lipsiam discederet, oblatum. Fridericus invehit in dorophagos & injustos justitiæ administratores. Promittit responsum clementissimum, pro quo Carbonarius gratias agit humillimas. Fridericus festum Eucharisticum publicè celebrandum institui, novum templum Ebersdorffi exstrui & in illo vestes Prin-

Principum, panno admodum vili, in quibus abducebantur, in
perennem memoriam suspendi jubet.

SCENA VII.

*Grumpius, Baccalar, Scriba,
Morio, Fama.*

GRumpius & Baccalar gratiam & præmia à Friderico reporta-
ta prædicant, indignationem præferentes quod justitiæ
cura in scio magistratu sæpius negligatur. Scriba, quem Morio
comitatur, affert Responsum ad literas supplices. Occasionem
injuriæ ob barbam detonsam ulciscendi Carbonarii nolunt di-
mittere. Grumpius Caponem sibi vult restitui, sed quia jamtum
absumptus pecuniâ compensatur. Morioni humi prostrato nasum
volunt abscindere, qui horrendum clamat, Tandem hanc ta-
lionis pœnam in clunicussionem mutant, quam spathâ inter ca-
nendum peragunt. Fama revertens, cujus habitum Carbonarii
admirantur, finem imponit ludo theatro.

EPILOGUS

moralia primò elicita ibi.

Lucidissimum enim in consuetæ mansuetudinis men-
tisque placidæ speculum in Friderico nobis ob oculo-
s ponitur, unde suis etiam temporibus PLACIDI
nomen est meritis. Quam facile enim & placidum
non tantum erga fratrem Wilhelmum, maxime in
motibus illis bellicis, sese gesserit; verum etiam
quam incredibilem mansuetudinem erga Cuntzium
spiraverit, ejusque minas patientissime tulerit, ex hi-
storia undique elucet. Tandem verò patientiâ læsâ
& in iram versâ justè Cuntzium proscripsit. Fridericus
licet aliquantulum durior in Cuntzium fuerit negando
restitutionem 4000. florenorum, quas ob captivitatem
redi-

redimendam sub bello Principis expenderat: attamen Cuntzius à Friderico injuriâ affectus non debuisset, hanc perduellionem contra magistratum suum exercere, sed vel jure & legibus se vindicare, vel patientiâ injuriam tolerare. Magistratui enim impio nedum injurio quoque obediendum. Admonet etiam hæc historia, Principes de non contemnendis subditis quibuscunque, sed ob communem pacem & amorem sæpe clementer de rigore justo recedendum & tribuendum aliquid gratiæ, quod juri fortè non debeat, ne quædetur refragandi subditis occasio. Melius enim Fides & Amor subditorum, quàm ferrum tuetur Principem. Hic non incommodè illud Ciceronis videtur locum habere: Est non modo liberale de suo jure quandoque recedere, verùm etiam fructuosum. Proponit hæc etiam historia exemplum fortunæ volubilis passibus ambiguis errantis dubiæque & incertæ vitæ humanæ, quæ cum maximè in portu esse videtur, patitur naufragium. Cum poculum ori admotum salubriter putamus, inter labra & poculum cadunt, quæ nos interficere imò interficere queunt. Denique morem atque consuetudinem benignissimi Numinis hic perspiciamus, qui ad extimas usque oras & horas periculi consilium & auxilium solet suspendere, nec prius suppetias afferre, quàm cum res ad *ἀκμὴν* extremi periculi traducta, omnisque humana prudentia exspiravit. Etenim res abductorum Principum jam in acie novaculae erat: jamjam instabat Bohemiæ terminus & ultima spes salutis videbatur extincta: en mirum DEI auxilium! mittit Carbonarium despectum, qui statim Viros imperterritos & Martios adoriens Principes in pristinam libertatem vindicat. Vestes ex vili panno
con-

confectæ, quibus tum temporis Principes abducti ute-
bantur, illius ævi simplicitatem & quantum hæc no-
stra ætas vestium luxu superbiens ab illis temporibus
sit mutata, in memoriam revocant. Plura moralia
ob spatii angustiam non licet subungere. Deinceps
Epilogus hæc historiam ad universalem illum plagia-
rium, mortem nempe, applicabit. Hanc enim si pe-
nitius inspiciamus, ubiqve mortis imago oculis nostris
exponitur. Cuntzius non metuebat Murorum altitu-
dinem: pallida mors etiam, teste Lyrico Poëtâ æquo
pulsat pede Regum tures pauperumqve tabernas.
Cuntzius tres præcipue complices, Nobiles nempe
à Vitzthum, à Mosen & à Schönfels ad plagium perpa-
trandum habuit: Morstotidem habet complices, mun-
dum, peccatum & Satanam. Cuntzius præmisit
suum exploratorem; Mors quoqve præmittit suos ex-
ploratores & Prodromos, qui sunt varia morborum ge-
nera, hominem de morte, ultimo hoste, admonentia.
Plagium hoc in universa aula ingentem excitabat plan-
ctum: quantum luctum Mors plagio suo afferat, quo-
tidiana testatur experientia. Principes jam captivi fru-
strâ implorant Matris auxilium: qui semel in mortis
vincula coniecti, nullam liberationis spem sibi possunt
promittere. Contra vim mortis non est medicamen-
in hortis. Illic ad divulgandum hoc facinus nefandum
campanis undiqve signa edebantur, omnes ad perse-
quendos plagiariorum concitabantur: Mors autem hæc
omnia contemnit, in eripiendâ ipsius prædâ omnis
opera humana luditur. Plagium illud lætissima exci-
piebat catastrophe, Principes singulari supremi Numi-
nis providentiâ cum omnium admiratione plagiariorum
manibus extorquebantur, parentibusqve suis imò
C uni-

universæ patriæ summo cum gaudio & tripudio resti-
tuebantur: CHRISTUS, Liberator & Redemptor noster
Nostrates piè defunctos ex mortis faucibus ereptos in
die illo pantocritico quoque restituet & cœlesti gloria
coronabit. Hæc omnia Epilogus fusius exponet & ve-
stigia à nobis non ita pridem servata, ubi geminæ opti-
morum Parentum proli optimæ hanc historiam ad
Mortis plagium uberius applicando, inter alias paren-
tationes in superiori templo habitas, parentavimus.
Quod enim Mors ejusmodi plagium plurimorum pa-
rentum liberos floridissimæ adhuc ætatis non sine sum-
mo cordolio ex suis gremiis per dyssenteriam & pustu-
las eripiendo apud nos hætenus designaverit, testan-
tur luctus vestigia multos adhuc terrentia. Epilogus
porro O N O M A S T E R I A. ILLUSTRISSIMI

COMITIS ac DOMINI, DOMINI
LUDOVICI FRIDERICI,
S. R. I. Q V A T U O R - V I R I,
COMITIS SCHWARTZBURGI & HOHNSTEINI,
DOMINI ARNSTEDI, SONDRSHUSÆ, LEUTENBERGÆ,
LOHRÆ & CLETTENBERGÆ, COMITIS ac DOMINI NOS-
TRI CLEMENTISSIMI, in diem XIV. Novembris, quoad
posterius N O M E N, incidentia gratulationibus piisqve
votis celebrabit, in quorum FESTIVITATEM præci-
puè hic actus Comicus fuit institutus. VERBA ILLA,
VIVAT FRIDERICUS,
S P E S P A T R I Æ,
quæ in quodam Emblemate non ita pridem Kiloni
in honorem Principis junioris Holsatici F R I D E -
R I C I

RICI erecto, repræsentata fuisse literæ Mercuriales
die 18. Octobris testantur, merito jam nostra facimus:

VIVAT LUDOVICUS FRI- DERICUS, SPES PATRIÆ.

Tandem, rogatâ veniâ erroribus, si qui occurrerint,
concedendâ, pro præsentâ persolvat gratias Scholam-
que SPECTATORUM PATROCINIO & FAVORI com-
mendabit. Et hæc sunt, quæ Programmatis loco
præmittenda videbantur. Benevolus Lector valeat,
conatibusque nostris porrò faveat. Scrib. d. XIV. Nov.

F R I D E R I C O S A C R A,
A. O. R. clc lbc XC.

Nomina Discipulorum ex prima Classe huic Comædia inser- vientium.

- Nobilis* JOHANN. CASPAR. Kauffmann / Aggripont.
zincus GEORG. Gottlob Grundig / Bergkgishüttâ-Misnicus.
JOH. GEORG. Helbig / Aggripont.
opus JUST. FRID. Keil / Ottensenâ-Hamburg.
lis JOH. DAN. Schluckbier / Saxenhusâ-Wetteraviensis.
atello MART. ALBERT. Saul / Roslanus.
epilog ERNEST. ANDR. Grieser / Francohus.
ca JOH. MICH. Hoffmann / Regisseens.
Nobilis CHRIST. GÜNTH. Defftiger / Badrens.
Carbonarij JOH. GEORG. Schilling / Udersleb.
Fama JOH. LAUR. Boddicke / Stödens.
Nobilis FRIDERICUS Besser / Sangerhus.

Gott.

217/1470

- Principis filius Gottlieb Besser / Cannawurffienfis.
- Principissa JOH. LUDOV. Serber / Butstadiens.
- Cabularia JOH. GEORG. Streckeroft / Northus.
- Argumentator JOH. ANDR. Stöffiger / Sachsenburgens.
- Morio ERNEST. CHRISTOPH. Mörcker / Aulebiens.
- Carbonarius JOH. CASP. Daniel / Francohus.
- Argumentator DAV. SEBAST. Giesler / Elendinens.
- Carivifex JOH. GEORG. Lucke / Harzungenf.
- Carbonarius JOH. CHRISTOPH. Haffering / Grajens.
- Carbonarius JOHANN. Brehme / Microgebrang.
- Principis filius HENR. JUL. Cravel / Hainrodens.
- Carbonarius GODOFR. CHRISTOPH. Koch / Cannawurff.
- Carbonarius JOHANN. Schade / Ellerslebiens.
- Carbonarius JOH. HEINR. Kindervater / Kelbranus.
- Carbonarius FRID. PHILIP. Heise / Elendinens.
- Argumentator HEINR. CASP. Otto / Saxensis.
- Principis filius JOH. GEORG. Beroldt / Wallrodens.
- Principis filius GEORG. GODOFR. Thrumm / Sachsenburg.
- JOH. NICOL. Fuchs / Ezlebiens.

F I N I S.



nc

102



RICI
628
VA
DR
TAN
CONC
OVE
TAN
CONC
FR
A.O.

WA

Joh
CE
Joh
Jus
Joh
MA
FR
Joh
CH
Joh
Joh
LH

ULB Halle 3
004 778 812






L. XVI, 17.
AR. XVI,

E
A

Per p

Et n
par

UM
O
TI
TI,
NIAE,
Conradum
urgicâ
vo magna
ommuni illo
AEQUE
R.
SCHULZII.

V c
1470



M.
2.

